



# **Dissertatio juridica inauguralis de officio curatoris in administrandis bonis minorum**

<https://hdl.handle.net/1874/295251>

12

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
OFFICIO CURATORIS IN  
ADMINISTRANDIS BO-  
NIS MINORUM.

Q U A S

FAVENTE DEO TER OPT MAX.

*Ex Auctoritate* RECTORIS MAGNIFICI

ALEXANDRI PETRI NAHUYIS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. atque  
Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu*, et  
*Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICAE *decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditis examinandam offert.*

JACOBUS VAN DEN HOUTE,  
ZIRIZÆENSIS.

---

*Ad diem III. Julii MDCCLXXX. H. L. Q. S.*

---

TRAECTI AD RHENUM,

*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCLXXX.

DISSERTATIO JURIDICA  
IN AUGURALIS  
DE  
OFFICIO CURATORIS IN  
ADMINISTRANDIS BO-  
NIS MINORUM.

AVVENTE DEO TER OPT MAX.

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
ALEXANDRI PETRI NAHUY

A. L. M. Phil. & Med. Doct. atque  
Professoris Ordinarii,

NEC NON

Supplicium Senatui Academiæ consensu, et  
Nobilissimæ Facultatis Juridicæ decore,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summiusque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime concessis.

Præsentis examinandam offert.

JACOBUS VAN DEN HOUTE,  
CHRISTIANUS.

---

Ad diem III. Julii MDCCXXX. H. L. Q. S.

---

TRAJECTI AD RHENUM,  
EX OFFICINA ABRAHAMI VAN RADDENBURG,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI, MDCCXXX.

VIRIS.

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS,  
ABRAHAMO JACOBO S' GRAEUWEN,  
MEDICINÆ DOCTORI  
URBIS ZIRIZÆENSIS GRAPHIARIO, CET.  
FRATRI PER AFFINITATEM CARISSIMO.

ADRIANO JANO DE REUVER,  
J. Ct. CAMERÆ RATIONUM PROVINCIAE  
ZELANDIAE A TABULIS ET SECRETIS, CET.

TUTORIBUS SUIS MULTIS MODIS DE SE BE-  
MERITIS, EOQUE NOMME, PARENTUM  
INSTAR, PER OMNEM VITAM CO-  
LENDIS, HONORANDIS.

*Hancce Dissertationem  
inauguralem.*

D. D. D.

VIRI

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS  
ABRAHAMO JACOBO S. GRAEUVEN

MEDICINAE DOCTORI

URBIS ZEPHYRINENSIS GRANAHAHO, CET.  
FRATRI PER AFFINITATEM CARISSIMO.

ADRIANO JANO DE REUVIER,  
J. C. GAMARIE RATIONUM PROVINCIAE  
XPLANDIAE A TABULIS ET SECRETIS, CET.

TUTORIBUS SUIUS MUNITIS MORIS DE SE BE  
MERITIS, EQUAE NOMINE, PARENTUM  
INSTAR, PER OMNEM VITAM CO-  
LENDIS, HONORANDIS.

Hanc Dissertationem  
inauguravit.

D. D. D.


B. L.

**S**i verum illud Jasonis, profunditatem juris ad 40 annos se extendere: Quid audaciæ! juris prudentiam nunc profiteri, cujus Sacris nondum initiatus sum, quam a limine vix modo salutavi: Anni enim vix tres elapsi sunt, quod huic studio incubui. Sed scire te velim B. L. necessitatis fuisse, quod hæc pagellas prælo submiserim: voluntas meorum tale quid abs me exegit: ne autem mensura virium imbecillitatem excedente turpiter deserere cogerer, quod arroganter assumfissem intra meam pelliculam me continui, talemque mihi elegerem materiam, quam humeri fere non recusant.

Accipias ergo benigna fronte hanc tenuitatis meæ ingenuam confessionem, & pluris animum offerentis quand pretium oblationis æstimes quæso: Ab aliis, quibus arctior cum Themide necessitudo intercedit ampliora expectes, ut enim juste rationem impensi reddam,

dam, promere quid nequeo, quod doleat alios:  
speciminis ergo hæc submisſe tibi offero, quod bene  
interpreteris Spero: tuo favori ſic me commendans te  
bene valere Jubeo. —

DIS.



DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

OFFICIO CURATORIS IN  
ADMINISTRANDIS BO-  
NIS MINORUM.

§. I.

**I**nter tria Juris objecta principem locum obtinent Personæ; ex his, quæ in potestate aliorum non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel neutro jure tenentur. Ex his disputare volentem de illis, quæ in Curatione sunt, vocabula rerum indices esse, *tit. ff. de verb. S. me docet.* Qua-  
 A prop-



propter ne illotis manibus accedamus, brevibus licet, ne videamur cortici inhæsisse, solliciti erimus in enucleandis vocabulis. Nomen autem *Curae* quod attinet, *Varro de Ling. Lat. L. 5.* deducit ab eo, quod *Cor urat*; *Curare*, ait a *Cura* dictum. *Festo de V. S. L. 3.* *Cura* dicta est quasi *cor edat*, vel quia *Cor urat*; idem quoque habet *Servius ad Virg. Æneid. L. I. vs. 213.* & Poëta ipse *Virgilius L. 4. Æneid.* ubi sic canit.

*At Regina gravi jam dudum saucia cura,  
Vulnus alit venis, & coeco carpitur igni.*

Alii vero derivant hanc vocem a Græco *χρησ*, & certe a *χρη*, id est *cor*, commode desumi potest, idem enim notat ac animo volvo, *Curo*, & sic generaliter vocabula *Cura* & *Curatio* sumuntur pro cujuslibet Negotii aut muneris administratione; *vid. Tac. Hist. L. 4. C. 68.* Et *Suet. in Claud. c. 25.* & *Cic. de Nat. Deor. L. 1. C. 1.* & *ad familiares L. 6. Ep. 19.* Et sic *Curator* pro Cujusvis negotii administratore sumitur; ut *apud Suet. in Aug. c. 37.* & *in Calig. c. 27.* In jure vero hæ voces peculiarem sibi usum vindicant, cum de administratione alienorum bonorum agitur. Et hæc de vocis origine.

## §. II.

Priusquam vero ad definitionem *Curae* transeamus, non abs re erit, originem ejus paulo altius repetere. Cum lege 12. Tabb. de Puberum Curatoribus nihil stabilitum esset, adeoque jure veteri Adolescentes pubertate liberarentur a tutela, & maxime quidem ob temporis severitatem, & quia adolescentes tunc vitæ honestate eminent; sic legimus, Juvenes ea ætate virili toga assumta (quæ solennitas circiter annum ætatis decimum septimum tum peragebatur) sibimet ipsi permisos fuisse, propriaque negotia administrasse dicuntur. *vid. Val. Max. L. 4. ex. 4.* & ea ætate fertur Nerva filius publice de jure respondisse, *L. 1. §. 3. ff. de postulando.* Similiter majori septemdecim annis permissum fuit servos in testamento manumittere contra legem Æliam Sentiam §. 5. *inst. eod. Tit.* qua de re ut & de toga virili plura habet *Dempsterus in notis ad antiquit. Rosini p. 424.* Et sic hac ætate adolescentes fuerunt nullius potestati subjecti: paulo tamen postea accrescentibus divitiis & ex iis luxurie, voluptate, ac profusione bonorum orta, lata est Lex Lætoria, qua cavebatur, ut, omnibus re sua abutentibus Curator a Præto-  
re daretur. *Capitol. in vita Marci Anton. Philos. cap. 10.* qua lege

tamen jus 12 Tabularum defuetudine oblitteratum potius renovatum, quam aliquid novi constitutum fuisse videtur. Deinde tandem Divo Marco visum fuit, omnibus Juvenibus, licet non prodigis, Curatorem tamen dare; idem *Auctor Capit. L. L.* sic scribens. *De Curatoribus vero cum ante non nisi ex lege Latoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti Curatores acciperent, non redditis causis.* & Capitolino consentit Gajus *L. 1. Inst. Tit. ult.* Verba Gaji: *Peractis Pupillaribus annis, quibus tutores absolvuntur, ad Curatores ratio minorum incipit per tinere; sub Curatore sunt minores, ætate majores everfores, infani.* Ex vi illius legis omnibus adolescentibus, nondum vigesimo quinto ætatis anno impleto Curator datur, licet res suas bene gerentibus, quo sensu intelligenda sunt verba *Ulpiani L. 1. §. 3. ff. de minorib.*

### §. III.

Prima itaque origine Curæ exquisita, ad definitionem nobis propositam transeamus. Justinianus ait *in princip. inst. huj. Tit. §. 3.* Cura est vis ac potestas administrandi bona eorum, qui vel per ætatem minorem viginti quinque annis, vel per animi corporis.

risve vitium ea administrare nequeunt. Dicitur *vis ac potestas*, talis nempe potestas, qualis in administratione bonorum requiritur, non enim hic intelligenda tanta vis ac potestas, quanta paterna ac dominica apud Romanos erat, minime, sed ea quæ ad utilitatem eorum, qui sub cura essent, conducebat. Et quidem est vis ac potestas *in capite libero*. In definitione enim Curatelæ etiam illud referri potest, quod in definitione tutelæ dixerat Imperator. Cura enim quoque munus publicum est, & ob eam causam liberi homines tantum Curatores, & liberi tantum homines in Cura esse possunt, nullus enim in Cura esse potest, nisi qui sui Juris est, ergo & Curator potestatem habet in Capite libero, id est in homine libero; vocabulum enim *caput*, Latini pro toto homine usurparunt; Quia præcipua pars Corporis habetur, ex qua homo ab aliis dignosci potest *Leg. 44. ff. de Relig.* hinc *Horatius L. I. Sat. I. v. 27.* ait.

————— *Quot Capita vivunt totidem studiorum*  
*millia* —————

*Administrandi bona*, certæ enim rei vel causæ Curator datur, non personæ. *Leg. 14. ff. de Testam. Tut.* Et hæc est differentia inter tutelam & Curam; Tutela enim respicit ad Personam Pupilli, Cura vero ad bona minoris. Porro in definitione di-

citur, qui vel per ætatem minorem viginti quinque annis; Ex  
 his itaque patet illum numerum annorum potissimum requiri,  
 non ita, quasi ante illud tempus res suas administrare non pos-  
 sent minores, sed magis id cautum ob imbecillitatem ætatis,  
 qua minus res suas administrare queant. Ut docet *Ulpianus*  
*L. 1. §. 2. Diſt. Tit.* Post hoc tempus completur *Virilis Vi-*  
*gor.* Qui per animi corporisve vitium ea administrare nequit,  
 puta eum, qui rebus suis superesse non potest, ut *Fu-*  
*riosus*, mente captus, surdus, mutus & qui perpetuo morbo  
 laborat. *Furiosus* etsi quoque mente captus est, a mente capto  
 tamen plerumque separatur *L. 2. ff. de inoff. Test. L. 8. ff.*  
*de tut. & Curat. Dat.* & multis aliis legibus. *Furiosus* nempe rabie  
 quadam ad ferociam agitatur, mente captus vero nulla fere  
 signa vitii naturalis ostendit extrinsecus, Belgice audit *Een Goe-*  
*de Gek.* *Furiosorum* porro duo sunt genera, quidam enim in  
 perpetuo morbo versantur, alii intervalla quædam dilucia habent.  
 Qui vero perpetuo illo morbo laborant, per se liquet in *Cura* esse  
 debere, cum nullo modo rebus superesse possunt. Qui vero di-  
 lucida habent intervalla ei tam diu modo *Curator* datur, quam  
 diu tempus furoris durat. *Prodigi* etiam huc referendi sunt,  
 quia *Furiosis* æquiparantur. Nonnulla tamen est differentia inter  
*Prodigum* & *furiosum*. *Furiosus* enim nihil negotii agere  
 po-

potest, Prodigus vero ex auctoritate Curatoris omnia recte peragit. Prodigus rursus duplex est, vel jure vel facto: Facto prodigus est, qui neque tempus neque impensarum finem habet, sed dilapidando, & dilacerando statum suum reddit deteriorem *L. 1. ff. de Curat. Furios.* Jure autem prodigus esse dicitur, cui post cognitam causam a Præatore interdicitur bonorum administratio. *vid. §. 2. Inst. quib. non est permiff. facere Test. L. 18. ff. qui Test. facere poss.* Ex his itaque constat, prætextu prodigalitatæ illa, quæ prodigus ante decretum interdictionis gesserit, non infirmari *d. §. 2. inst. § L. 10. ff. eod.* sed & e contrario qui decreto prodigus est, quamvis postea ad bonos redierit mores, tamen non nisi contrario decreto bonorum administratio ei conceditur. Unum quodque enim eodem modo dissolvitur quo colligatum est *L. 35. de reg. Juris.* Hic autem quæstio obvia videtur; An quis ipso jure prodigus haberi possit? Negatur, quia prodigalitas est facti, adeoque Magistratus sententia opus est, antequam ei bonorum administratio interdicitur. Probari id potest *ex L. 10. § 15. ff. de Curat. furios. L. 55. C. infine de administ. Tutor. junctâ cum leg. 1. princ. ff. de Curat. furios. vid. etiam Donellum de Verb. orig. Gail. 2. observ. 51. Fachin. 2. Cont. c. 63.* Sed mallet & hic poenam pecuniariam statui in eos, qui prodigum  
 vel

vel eum, qui statim dilapidaturus est, quod accipit, sibi obligant: Et facile abstinebunt a contractibus. Et licet quis sciverit prodigum vel luxuriosum acceptam rem vel pecuniam jurejurando constituturum esse, tamen hoc ipsi non prodesse debet. Quia privatus ex delicto privati lucrum sentire non debet: Ergo non in totum efficaciter ex contractu Juratorio Prodigus obligatur.

Ob Corporis vitium impediuntur surdi & muti, & qui perpetuo morbo laborant; nempe eatenus eis administratio interdicitur, quatenus tali vitio impediuntur. Si non utique perpetuo morbo laborant, sed dilucida quædam habent intervalla, ut Furiosi, tunc hereditatem adire, & omnia agere, quæ sani homines agunt, possunt. *L. 6. Cod. de Cur. Furios. Voet. ad Tit. ff. de Cur. Furios. N. 13.*

#### §. I V.

Ut ordine nunc rem persequamur, inquirendum, quibus personis Curatores dantur. In definitione vidimus, ut quis viginti quinque annis major esse deberet ad res suas administrandas *Tit. Inst. de Curatorib. in princ.* adeoque puberes hic intelligendi, qui rebus suis adhuc superesse non possunt. *Tit.*

*Inst.*

*Inst. de Curatorib. §. L. 1. ff. de minorib.* ubi Jct. ita ait.  
*Et ideo in hanc usque ætatem adolescentes Curatorum auxilio regun-*  
*tur, nec ante rei suæ administratio eis committi debet, quamvis rem*  
*suam bene gerentibus.* Curatores itaque dantur iis, ut eorum  
 bona administrarent, quia minor, ob ætatis imbecillitatem, non  
 idoneus censetur; cum enim post illud tempus, nempe viginti  
 quinque annorum, secundum *Ulpian. L. 1. §. 2. Dict. Tit.*  
 completur virilis vigor.

Invitis autem adolescentibus Curator non datur, præterquam  
 in litem, *uti §. 2. inst. b. Tit.* adeoque nemo cogi potest, ut  
 Curatorem accipiat, sed sibi ipsi curatorem petere debebant  
*§. 4. L. 2. ff. qui pet. Tut.*

Sibi ipsi dicitur, adeoque per procuratorem vel per alium sibi  
 Curatorem petere non poterant. *Uti §. 4. L. 2. jam ante d.*  
*legitur.* Sed secundum Ulpianum non licere alium eis petere,  
 sed ipsum sibi ipsi. *§. 5. L. 2. ff. qui pet. Tut.* Matri, aliisque ita  
 non licebat tutorem vel Curatorem filio suo petere *L. 1. ff. qui*  
*pet. Tut. L. 2. ff. §. 5. qui p. Tut.* Sed Tutor, antequam a  
 suscepta tutela sua liberatur, pupillum monere debet, ut sibi  
 Curatorem petat *L. 5. §. 5. ff. de per. & adm. Tut. & Curat.*  
*Sacris itaque constitutionibus ei jubetur, si neglexerit §. 5. L. 5.*  
*ff. eodem.* Adeoque minores viginti quinque annis Curatores sibi



petere debent, scilicet, si res eorum id exigat, ut patet ex *L. 6. Cod. qui pet. tut.* Ex his itaque facile constat, non semper ex necessitate, præterquam in litem eis curatorem dari; si enim cum minore lis sit, adversarii est monere minorem, ut sibi petat Curatorem, cum quo tunc lis inchoanda est, in eo si tunc minor tardaverit, adversarius competentem potest adire judicem, qui ex auctoritate sua pupillo tunc Curatorem attribuit *L. 1. Cod. qui pet. tut.* idem etiam locum habet in rationibus administrationis reddendis *L. 7. Cod. eodem.* Cur autem minori invito Curator in litem dandus est, ex prædictis facile percipienda est ratio, quia nempe ob beneficium restitutionis in integrum, ex quibuslibet contractibus minor sine Curatoris consensu non videtur obligari *L. 3. Cod. de in integr. rest. minor.* Et omnia negotia cum minore absque Curatoris consensu gesta ipso jure esse nulla, adeoque si quis cum minore litem inchoaverit, & aliquod damnum ex ea senserit, sibi ipsi id imputare debet, quia ad litem cum minore, non Curatorem habente, non cogebatur. Sed quæstio tamen aliqua oriri potest; Nempe an minor qui Curatorem habet, & tamen sine ejus auctoritate contraxit, Jure Civili obligetur; Ita ut, si læsus sit, petere debeat restitutionem in integrum; An vero contractus ille ipso jure nullus sit. Posteriorius illud affirmatur per *L. 3. Cod. de in integr. rest. minor. L. ult.*

ult. §. 2. Cod. de sent. pass. & rest. Funct. cum L. 5. Cod. de leg. Et sane constitutio æquitati omnimodo consentanea, quia alioquin minor, si sine Curatoris consensu pro lubitu suo negotia gerere posset, sæpissime cum maximo rei familiaris suæ detrimento sua ageret. Illa vero discrimina, uti ante jam allegata, per Antoninum Philosophum sublata fuerunt, constituentem, ut omnes adolescentes curatorem acciperent non redditis causis. Quæ constitutio in hunc usque diem vim suam retinuisse videtur, uti ex Voetio ad Tit. de Curator. furios. Num. 2. aliisque ibi allegatis scriptoribus patet. Hæc sunt enim ipsa verba. *Confusis apud nos tutela ac Curæ Juribus, dubium esse nequit, quin inviti minores æque suis subjiciantur Curatoribus, ac pupilli inviti tutores admittere compelluntur*

## §. V.

Postquam jam vidimus, quibus potissimum Curatores dari solent, ad scopum nostrum jam nunc pertinet, ut inquiramus, a quibusnam Curatores dentur. Patri enim non licebat post mortem de filii sui bonis in testamento disponere, adeoque testamento non ei Curatorem dare §. 1. inst. de Curat. Si vero Pater dederat, confirmabatur decreto Prætoris §. 1. inst. eodem.

Minores tamen, quorum ætas multis insidiis erat obnoxia, quique per minorennitatem atque imperitiam facile circumducerentur, ab omni ope & auxilio destitutos relinquere, omni æquitati contrarium videbatur; a Majoribus ergo Magistratibus, quibus id competebat ex sua Jurisdictione, iis Curator dabatur, & quidem ab illis Magistratibus, quibus, uti ante, competebat jus dandi tutorem, uti est in §. 1. *inst. de Cur.*

## §. VI.

Videamus nunc, quid per illum Magistratum, qui jus dandi tutorem habebat, hic sit intelligendum. Non enim olim apud Romanos omnibus Magistratibus competebat jus dandi Tutorem, sed illis potissimum, quibus id lege, vel Senatusconsulto, vel a principe concessum erat, *L. 6. ff. de tutelis.* Cum itaque nullus in testamento patris tutor institutus esset, neque tutor ex testamento sperabatur, legibus Attilia Prætori & Majori parti Tribunorum in urbe; Julia & Titia præsidibus in Provinciis jus dandi tutorem datum est. Secundum Livium vero Lex Attilia procul dubio lata est, Anno urbis conditæ 443. a L. Attilio Regulo Tribuno plebis. Legem Juliam & Titiam lætam constat ex *Ulpian. frag. 11, 18.* Anno urbis conditæ

722. Augusto tertium, & Marco Titio, Marci filio Rufo Consulibus. Sed cum Prætores & Præsides eo munere interdum negligenter fungerentur, Senatus Consulto Claudiano cautum fuit; Ut pupillis extra ordinem Tutores a Consulibus darentur. Horum itaque etiam officium erat inquirere, an tutor ille idoneus & bonæ fidei homo esset, ne pupillus ex eo aliquid detrimenti caperet. Quod refert *Suet. in Claud. c. 23.* Deinde Divus Marcus Oratione sua in Senatu dicta, primus instituit, ut Prætor id jus dandi tutorem haberet *Capit. in vit. ejus c. 14.*

## §. VII.

Sed illud jus dandi tutorem minori Magistratui interdum attribuebatur, si non adeo magnæ essent pupilli facultates §. 4. *Inst. de Att. Tut.* Si itaque pupilli facultates non excederent summam quingentorum solidorum, in §. 5. *inst. eodem* constituitur, Si pupilli facultates non excederent summam quingentorum solidorum, defensores Civitatum una cum ejusdem Civitatis Religiosissimo Antistite, vel alias publicas personas, id est Magistratus, vel Juridicum Alexandrinæ Civitatis tutores vel Curatores creare, Legitima cautela secundum ejusdem constitutionis normam præstanda videlicet eorum periculo qui eam accipiunt.

## §. VIII.

Si itaque Prætor pupillo tutorem vel minori Curatorem daret, id facere poterat omni die, §. 2. ff. de tut. Curat. datis ab his. Sed sub conditione, neque in diem tutor a Præsidibus Provinciarum dari non potuit; §. 1. ff. de tut. Et si datus fuerit, nullius momenti esse censetur illa datio. Ita enim Papinianus L. 77. ff. de reg. Fur. sensit Dationem Tutoris per temporis vel conditionis adjectionem vitari; ratio est, quia Tutoris datio a Magistratu fit, adeoque ex actis legitimis procedit, quæ statim per adjectam conditionem vitiantur. Uti ex præcedente allegata lege constat.

Talis autem adjectio, quam Præsides Provinciarum faciunt §. 1. ff. de tut. Tutorem do si satis dederit, prima specie quidem conditionem in se continere videtur; Sed supervacua est, magisque admonitionem, quam conditionem in se continet. Scilicet, Tutela illis non aliter committitur, quam si caverint, rem pupilli salvam fore. Pomponio ita dicente in d. leg. aliter enim tutela eis committi non potest, L. 1. Cod. de Tut. & Curat. qui sat. non ded. Si enim sine satisfatione res pupillares

res administrarentur, & adeo quasi libera potestas erat tutori in rebus pupillaribus administrandis, sæpius eorum negotia Tutoris profusioni obnoxia redderentur. Hæc autem quæ de Tutore dicta sunt, itidem locum & in Curatore habent. De quorum communibus infra pluribus erit agendum.

## §. I X.

Sed jam nunc ab iis ad alia transeamus; nempe ad minorum Curam Agnati admittuntur. Lege 12 Tabularum, agnati ad Tutelæ onus vocabantur, sequitur idem hoc etiam in Cura obtinere, quia in plerisque iis causis Tutoris & Curatoris officium congruit. Qui autem agnati dicti sunt, ex institutionibus factis notum, nempe uti in §. 1. *inst. de leg. agn. tut.* Cognati per virilem Sexum nobis conjuncti, uti frater ex eodem patre natus, fratris filius & nepos ex eo. Cognati quinam dicuntur, ex *L. d. constat*, nempe per foemininum Sexum nobis conjuncti, uti sororis meæ filia, vel filius mihi est cognatus vel cognata, quia in hoc casu conditionem Patris, non Matris sequuntur. Si autem plures agnati sunt, proximus ad tutelam vocatur, quia proximus is est, cui nemo antecedit. *L. 92. ff.*

*de verb. sign.* & Justinianus inquit, in *Tit. Inst. de legit. Patronor. tut.* Ubi successioneis emolumentum est, ibi & tutelæ onus esse debet; quia in succedendo olim agnati præferebantur Cognatis. *L. 13. ff. de bon. libert.* Si vero plures agnati essent, eodem gradu distantes, omnes ad tutelam vel curam vocantur. Sed Tutela sæpius hæreditatem sequitur, adeoque hereditas omnino proximo agnato defertur.

Sed fieri potest, ut alibi sit hereditas, alibi tutela, uti *Ulpianus* ait *L. 1. §. 1. D. huj. Tit.* Si sit consanguinea pupillo. Nam hereditas quidem etiam ad agnatam pertinet, tutela vero ad solum agnatum. *L. 10. ff. de leg. Tut.* quia tutela est munus virile, ad quod mulieres non admittebantur, *L. 2. ff. de Reg. Jur.* In dicta autem lege *10. ff. §. 1. de leg. tut.* *Hermogenianus* inquit, surdos & mutos ad tutelam non admitti. Præterea etiam in *leg. ult. Cod. de leg. Tut.* *Justinianus* ait, Neque frater nec alius legitimus in tutelam sive ingenui, sive liberti vocetur, antequam quintum & vicesimum ætatis annum attigerit. Ad eos ergo imperator respicere videtur, qui ipsi jam rerum suarum domini & administratores sunt, quia ipsi ante illud tempus, uti notum, sub Cura essent. Sed hic rursus quæri potest, an durante minorennitate tutoris, interim dandus sit Tutor vel Curator. Posterius probatur ex

*L. 24. de adm. Tut. & L. unic. Cod. de act. a Tutorib. vel Curat. dand.*

## §. X.

Per Novellam autem 118. c. 4. & 5. hæc discrimina agnatorum in succedendo vel suscipienda tutela abrogata sunt; ubi sine gradus distinctione ad tutelam & curam vocantur proximi agnati, sive per muliebrem, sive virilem sexum cognationis gradu conjuncti; cum tali autem discrimine, si sint justæ ætatis & ad tutelam suscipiendam idonei. Mulieribus itaque etiam tutela committebatur, si modo renunciarent secundis nuptiis, & Senatus Consulto Vellejano, quo cautum; ne pro ullo feminæ intercederent *L. 1. ff. ad Senat. Cons. Vellej.* Si mulieres renunciarent secundis nuptiis, id fiebat, si ad tutelæ onus liberorum admitti vellent, tunc actis judicialibus promittebant, se ad Secundas Nuptias non esse transituras: & in tali optione omnimodo liberæ erant, nam ne ullo quidem jure coactæ erant; sin autem ad altera vota transire vellent, tutelam non debebant suscipere. *L. 2. Cod. quando Mul. Tut. mun. fung. pot.* Quid? si itaque mulier matrimonium præoptaret, Præfectus



in urbe & Præsides Provinciarum in municipiis tutorem vel Curatorem ex inquisitione dabant *L. 2. Cod. alleg.* Lege autem *12. Tabb.* non tantum agnati, sed etiam Gentiles ad tutelæ onus vocabantur. Qui quomodo a se invicem distinguuntur apud *Noodt, ad Pand. L. 26. Tit. 4.* obiter explicatur. Nempe Gens esse dicitur, quæ plures familias in se continet, & ita familia est pars gentis. Nam uti a gente familia, sic agnati a gentilibus discernuntur; qui itaque ejusdem familiæ sunt agnati dicuntur; qui ejusdem gentis, Gentiles; quomodo hic etiam verba *leg. 53. ff. de verb. signif.* intelligenda censeo, ut conjuncti, sæpe etiam pro disjunctis, & disjuncti rursus pro conjunctis sæpius habentur. Sic etiam in *leg. 12. Tabb.* agnati & Gentiles ad Tutelam vocantur: & hic pro separatione intercedit.

## X I.

Hæc jam de Curatoris officio sufficere putavimus. ordo rerum jam nunc postulat, ut inquiremus, quænam Tutoris & Curatoris communia. De quibus pauca quædam enumerabimus. 10. Utriusque munus publicum est, & ad id captis pignoribus compelli possunt: Ab iisdem Magistratibus dantur Curatores, a  
qui-

quibus dantur Tutores §. 1. *inst. de Curat.* Si enim testamento non jure dati sunt, a Magistratu confirmandi sunt, vel cum, vel sine inquisitione §. 1. *inst. eodem.* Etiam non ante administrationem in se suscipiunt, priusquam caverint, ut res pupilli salva fiat. *L. 1. Cod. de tut. qui non satisd. L. 27. Cod. de Episcop. audient.* Eos, quibus dati sunt, in judicio defendere, res eorum, ut bonum decet patremfamilias, administrare, debita exigere, & credita solvere debent. Res pupillorum vel minorum immobiles non nisi ex decreto alienare possunt. Vel etiam uni tutela addici potest, omnes vero ad rationes, finita tutela vel cura reddendas, tenentur, & quicquid pupillus vel minor culpa eorum lata ac levi amiserit, resarciendum. Contra eundem Magistratum tum in dando Curatore, cum in tutore, non idoneo, vel etiam in non dandis idoneis fidejussoribus institui potest Actio subsidiaria. Cujus actionis effectus ex institutionibus & Pandectis satis cogniti sunt, adeoque eam hoc loco explicare supervacuum esset.

## §. X I I.

Ultima vero tam Tutori quam Curatori communia, hæc sunt. Nempe, satisdatio, excusatio, & suspecti postulatio. Quæ

singula si explicanda essent, nimis longum foret, & a proposito nostro omnino recederet. Adeoque ea saltem breviter explicemus. 10. Itaque de satisfactione. — Cum enim pupilli vel minoris maxime intersit res suas salvas manere, quæ absque Tutoris vel Curatoris interventu in magno essent periculo, & maxime quidem absque interventu Curatoris probatæ conditionis; non mirum videri potest, cur in initio tria observanda sunt tum in Tutore, tum in Curatore. 10. Ut fiat Jusjurandum, quo cavet se administraturum bona pupilli vel minoris, ut bonum patremfamilias decet, *Novel. 72. Cap. 8.* 20. Ut fiat inventarum, quod si non factum fuerit, dolo fecisse censetur, & tunc tenetur ad id quanti pupilli intersit *L. 7. in princ. ff. de adm. & per. Tut.* Quid autem per inventarium intelligi debeat, satis cognitum; nempe, descriptio omnium bonorum quæ defunctus tempore mortis habuit. 30. Satisfactio præstanda est, quæ fit intervenientibus fidejussoribus, ut res pupilli vel adolescentis salva fiat. *Tit. 1. ff. Rem Pup.* Hæc jam de satisfactione suffecerint; infra enim locus erit plura de ea dicendi.

20. Excusatio fiebat, si a tutelæ vel Curæ onere se liberare vellent, tunc justæ excusationis causæ instituendæ erant apud Eundem Magistratum, a quibus Tutores vel Curatores dantur, quæ excusationis causæ vulgo quatuordecim statuuntur. Has

autem causas institutionum juris nostri non plane imperitus non ignorabit. Ultimum omnium tandem commune est, Postulatio suspecti, ob quam Tutori vel Curatori statim tutela interdicitur. Suspectus enim is est, qui non ex fide tutelam gerit. §. 5. *inst. de susp. Tut. vel Curat.*

## §. XIII.

In antecedenti jam vidimus, pupillum, si pubertatis annos attigerit, a tutela liberari, & porro vidimus, quomodo a tutela in Curam reducitur; nostrum itaque est, ut videamus, quando minores, & etiam alii præterquam minores, a Cura liberentur & liberam bonorum suorum administrationem acquirant. Curatoris itaque officium variis modis finitur. In minoribus Jure Civili, per majorennitatem, quæ in maribus & fœminis est annus vigesimus quintus, quam ætatem si attigerint, a Cura liberantur; ob rationem jam ante ab *Ulpiano* dictam, *L. 1. & 2. ff. de minor.* Per nuptias quoque secundum nostras & aliorum constitutiones minores a Cura liberantur, ita ut maritus minorennis per subsequens matrimonium pro majorenni habeatur, & sic a Curatoria & patria potestate liberetur, quasi revera majorem ætatem attigisset, atque sic non modo liberantur

rerum suarum & uxoriarum administrationem, sed etiam liberam rerum alienationis potestatem acquirat: quatenus matrimonium ex consensu eorum, quorum in potestate est, contraxit; quod & jure hodierno adhuc obtinet, uti ex *Voet. ad Pand. L. 4. Tit. 4. N. 6.* pluribus probatur. Sed tamen adjutorium restitutionis ei denegandum est, si damnosum inierit matrimonium, *Voet. de stat. Sect. 40. C. 3. N. 5.* Sed Jure Romano matrimonium a minore initum eum non liberat a Cura, uti in *L. 2. ff. de minor. 25. an.* legitur. Ubi *D. Severus* ait. *quo ad honores, minores ante majorennitatem a Cura liberari, non vero ad res suas suscipiendas.*

#### §. XIV.

Minores etiam a Cura liberantur impetratione veniæ ætatis, qua minorenes, qui nondum vigesimum quintum ætatis annum attigerunt, pro majorennibus habentur jure & moribus. Jure Romano nemo ætatis veniam petere poterat, quam qui vicesimum, jam impleverat annum. In fœminis non utique; hæc, si ætatis octavum decimum impleverant, recte ætatis veniam petebant. Qua tunc rerum suarum liberam administrationem acquirebant; si modo morum honestatem bonis demonstrate pos-

sent

sent documentis. *L. 2. Cod. de his qui ven. et.* Nempe eam veniam ætatis implorabant apud Principem, qui solus hanc potest veniam concedere. Omnia itaque, quæ postea gerunt, firma habentur, ac si viginti quinque ætatis annum complevisset; sic ut in integrum restitutionis auxilium non possint impetrare, quamquam res suas non admodum idonee administrant. Res suas vero immobiles non alienant, aut Hypothecæ obligant, nisi id illis ob justam aliquam causam a Principe concessum est.

*L. 1. Cod. Et penult. de his qui ven. et.*

*L. 1. ff. de Cur. fur. §. XV.*

Sed alia est ratio in Furiosis & Prodigis, & in iis, qui corporis vitio ad sua gerenda non sunt idonei, nam in iis cura cessat, quando constiterit, eos ad sanos mores reversos esse. Quod etiam in prodigis omnino locum suum invenire potest, si quidem vitæ honestate probant rerum suarum administrationem iis concedi posse, & in Furiosis, si rursus sanæ mentis fiunt; adeoque, ut ceteri homines, recte sua gerunt; *L. 1. ff. de Cur. fur.* Quod idem locum in corporis vitio impeditis obtinet, nempe, si temporario morbo laborant, nam si perpetuo morbo laborant, etiam in perpetua cura sunt. Naturali ratione cura quoque finitur

morte non solum naturali, sed etiam morte Civili, tum Curatoris, tum ejus qui in Cura est. Cum enim morte extingui tutelam constat, sic quoque Curam, quæ itidem inter duas consistit personas, eodem modo finiri oportet. Morte Civili finitur deportatione, in exilium missione, & arrogatione minoris; quia a Tutela pupillus per adoptionem & a Curatoria potestate minor liberatur, & in patriam potestatem transit, sic enim, qui in patriam potestatem transit, non amplius sub cura esse potest. *Princ. inst. de Tut.* Minima autem Capitis diminutio Curatoris eum non liberat a Cura, quia tutoris minima capitis diminutione tantum legitima tutela finitur, & quia Cura non est legitima, sed Dativa, itaque minima non finitur capitis diminutione, §. 1. & 3. *Inst. quib. mod. Tut. fin.* Etiam Curator a Cura liberatur, si is habet justas excusationis causas, quas apud Magistratum proponere debet, quas si Magistratus rejiciat, & Curator alias habuerit causas, non prohibetur eas iterum proponere §. 16. *Inst. de excus. tut.* Si vero Magistratus approbat causas, statim a Cura liberatur. Postremo Curator ab onere Curæ liberatur, si ut suspectus removeatur: quis autem sit suspectus, in §. 12. jam vidimus. Si adeoque non ad fidem Curam gesserit, Cura ei interdicitur §. 7. *Inst. de susp. tut. et Curat.* & quidem ab eodem Magistratu, cui competit jus dandi tutores &

Cu-

Curatores Princip. *inst. de susp. Tut. & Curat.* Post eam accusationem sequitur condemnatio, qua ob dolum famosus fit, ob culpam non æque. §. 6. *inst. de susp. Tut.* Sed hic quæri potest, an Tutor vel Curator, ob latam culpam remotus, etiam fiat infamis; affirmatur. §. dicto, ubi culpa opponitur dolo, haud dubie culpa levis intelligitur, quia culpa lata nihil aliud quam dolo est *L. 226. de V. S.*, ideoque dolo vix opponi solet, sed sub dolo sæpius continetur. Quinimo passim in causis Civilibus lata culpa æquiparatur dolo *L. quod Nerva 32. ff. de pos. l. 1. §. 1. si mensor fals. mod. dixerit.* & facile infligitur infamia §. 2. *inst. de pœna tam litig.* his adde *L. 7. §. 1. ff. huj. Tit. L. ult. Cod. arbitr.*

## §. XVI.

In quibusdam communibus tum Tutoris tum Curatoris §. xi. recensitis, inter quæ etiam locum obtinet Curatoris satisfactio sive cautio, de hac infra pluribus me acturum dixeram; jam nunc origo & effectus satisfactionis paulo accuratius hic sunt enucleandi. In antiquitatibus de satisfactione Curatoris nihil proditum invenimus; Quum vero pupilli vel adolescentes inde



magnum capere poterant detrimentum, a Præatore etiam satisfactio introducta est, arg. *L. 3. ff. Rem. pup. salvo. for.* Eo vero tempore Tutores ex testamento Patris eam satisfactionem non præstabant; quia pater de rebus pupillaribus satis bene prospexisse videbatur *Princ. inst. de satisf. tutor.* Neque etiam dativi, qui à majori magistratu cum inquisitione dati fuerant, quo casu inquisitio pro cautione venit *Princ. inst. Tit. alleg.* Sed illi tantum Curatores, qui a minoribus magistratibus, uti a Duumviris & Scribis dati erant. *L. 30. Col. de Episcop. aud. junct. cum Tit. inst. de Att. Tut.* Si nempe pupilli facultates non excederent summam quingentorum solidorum, *L. ult. Cod. de magistr. conv.* a qua lege non admodum recedunt, verba formulæ apud *Briffonium de form. verb. p. 408. Tutorem do si satis dederit.* A Divo autem Trajano illa satisfactio Senatus Consulto quodam magis est confirmata, si vel duumviri non satisfactionem a Curatore exegissent, vel non idoneos instituisent Curatores, de qua re *Dioclet. & Maximian. Augg. L. 5. Cod. de Magistr. conv. In magistratus municipales tutorum nominatores, si administrationis finito tempore non fuerunt solvendo, nec ex cautione fidejussionis solidum exigere possit, pupillis quoddam in subsidium indemnitis nomine actionem utilem competere ex Senatusconsulto, quod auctore Divo Trajano Parente nostro, factum est, consistit. Quæ indemnitis petitio,*

titio, Divi Pii rescripto etiam sese extendit ad Magistratus heredes. *L. 6. ff. de magistr. conv.*

## §. XVII.

In antecedenti etiam dixeram testamentarios tutores hanc cautionem numquam præstare; casus tamen existere potest ut etiam præstent. Nempe si ex testamento duo vel plures Curatores dati sunt, quorum unus Contutori soli administrationem relinquit, & sic satisfactionem de indemnitate rerum pupillarum offerat. §. 1. *inst. de satisf. Tutor. & Curat.* Interest enim pupilli rem suam per unum quam per plures expediri, si ergo testator in testamento aliquando non uni tutelam obtulit, Magistratus decreto suo id magis idoneo offert: Ceteri tunc ii sunt, qui vulgo honorarii dicuntur §. 1. & 2. *ff. de adm. & peric. tutor. & Cur.* Hæc autem satisfactio fiebat datis fidejussoribus ut res pupilli salva fiat. *T. T. Rem pup. salv.* Quæ si fiebat coram Præatore, semper aliquis pro curatore cautionem præstabat *L. 7. ff. de stip. Præt.* ab his enim, si pupillus absens esset, vel fari nondum posset, servus vel proprius vel publicus stipulabatur, uti in *L. 2. ff. Rem P. S. F. Ulpianus*, ait, se

pupillus absens sit, vel dari non posset, servus ejus stipulabatur: Si servum non habeat, emendus ei servus est; sed si non sit unde ematur, aut non sit expedita emtio, profecto dicimus, servum Publicum apud Prætores stipulari debere. Aliquando tamen Prætor aliquem dabat, cui fidejussores stipularent, L. 3. ff. eod. Servus autem proprius, sive domino, sive sibi, sive impersonaliter stipulatur, acquirit domino §. 1. inst. de stip. servor. Servus autem publicus recte pupillo stipulari poterat, quia in dominio Reipublicæ erat, & publica auctoritate licita erat stipulatio L. 3. ff. rem. Pup. salv. for. Moribus vero hodiernis illa satisfactio ab usu antiquo omnino recedere videtur, quia a iudicis arbitrio dependet, an a Tutore vel Curatore satisfactio, sive cautionem, captis pignoribus, sive datis fidejussoribus, sive oblato iurejurando, petere velint; rarius autem contingit, ut tutores satisfacere cogantur. Quia vel testamento vel ex inquisitione legis confirmantur. Uti patet ex clarissimis auctoribus apud Voetium allegatis.

## §. XVIII.

Expositis jam iis, quæ nobis ad minorum bona administranda sufficere videntur, restat ut videamus, quibus actionibus

nores, cura nempe deposita, juvantur. In quibus ordinariis 1<sup>o</sup>. Occurrunt Actio directa, 2<sup>o</sup>. Actio Hypothecaria: 3<sup>o</sup>. Actio ex stipulatu, & 4<sup>o</sup>. Actio subsidiaria. In Extraordinariis, sola occurrit, restitutio in integrum. Quæ, si rite sunt explicandæ, 1<sup>o</sup>. videndum quænam sit actio directa; est nempe illa, quæ datur pupillo contra tutorem, & utiliter minori contra Curatorem, ut finita tutela vel cura, reddat rationes, solvat reliqua, præstetque dolum & levem culpam. *L. 1. in princ. §. ult. & L. 4. ff. de tut. & rat. §. 2. inst. de oblig. quæ ex quasi contr. nasc.*

## §. X I X.

Ex definitione adeoque patet, requiri, ut tutela vel cura finita sit. casus tamen existere potest, ut etiam durante cura, rationes administrationis exigantur, ut puta, in curatione Furiosi, prodigi, item in curatione ad litem, vel alium specialem actum, quia nullum temporis definitum administrationi momentum impositum est, plane enim incertum, quando prodigus vel furiosus ad sanos reversurus est mores, adeoque etiam durante Cura ad rationem administrationis reddendam agi potest, uti in *leg. 4. §. ult. L. 16. §. 1. ff. de tut. & rat. destr. & ex*

*Voet. de tut. § rat. L. 27. Tit. 3. patet. Si pupillo vel minori Curator ad litem datus est, ratio administrationis interea peti potest, quia plane incertum, quantum temporis lis sit duratura, & an alia institui possit. De tali curatore agitur in L. 16. §. 1. ff. de tut. § rat. Nam in hac lege pupilli & minoris Curator cogitur; & quia regulariter pupillo non datur Curator, sed tutor, Jurisconsultorum opinio est, hic agi de Curatore, qui extra ordinem pupillo vel minori datur, ad certum actum: sic etiam in L. 26. ff. de adm. § per. tut. L. 1. §. 3. ff. de contr. tut. § ut. act. Paulus & Ulpianus agunt de Curatore dato furioso vel prodigo, cujus temporis spatium non est determinatum, & exinde id colligi potest, quod eum huic conjungunt, qui pro Tutore negotia gerit, quem etiam dicunt ante finitam administrationem conveniri posse in dicta Leg. 26. § Leg. 1. §. 3. ff. In actionis autem definitione Curator censetur teneri de lata ac levi culpa, sed obiectio quædam inde exoritur, cum aliorum negotia curantes etiam de levissima culpæ præstatione tenentur, uti in mandatariis & negotiorum Gestoribus L. 13. L. 21. Cod. mand. L. 23. ff. de reg. jur. §. 1. inst. in fine de obl. que ex quas. contr. Sed quædam distinctio facienda, inter Negotiorum gestores, mandatarios, & tutores vel curatores, nam priores illi ex propria sua voluntate id munus ambiunt, cum poste-*

rio-

riores etiam inviti ad tutelam vel curam vocantur, atque adeo non ad diligentissimam curationem sunt obligati; casus tamen dabilis est, ut in suis diligentissimi, & in rebus pupillaribus vel minorum non ita exacti, etiam de levissima culpa teneantur. *L. 1. princ. ff. de tut. & rat. juncta cum L. 32. ff. de pos.* Nempe si sponte sese obtulerint administrationi, simul cum oblatione satisfactionis, quæ a reliquis contutoribus, testamento vel a Magistratu datis, oblata est *L. 53. §. 1. ff. de furt. junct. L. 1. §. 35. ff. de dep.* Vel etiam si post pupilli pubertatem ea gerant, quæ durante pubertate non gesserant, ita ut de his magis negotiorum gestorum, quam tutelæ judicio conveniantur, *L. 13. L. 14. ff. de tut. & rat.*

## §. XX.

Secunda actio est Hypothecaria, quæ competit pupillo, vel minori, contra eos, qui aliquid ex bonis, quæ, dum tutores vel Curatores essent, administrarunt, possident; nam hæc quasi pignoris titulo obligata sunt, *L. 20. Cod. de adm. tut.* quamquam inter Hypothecam & pignus magna sit differentia. Hypotheca enim proprie dicitur, cum debitor rem creditori obligat nudo pacto, quamquam non interveniat possessionis traditio, pignus  
vero

vero est, cum debitor possessionem creditori tradit *L. 9. §. 2. ff. de pign. act.* Quam differentiam etiam Isidorus *L. 5. originum c. 25.* his verbis, facit. *Inter pignus & fiduciam & hypothecam hoc interest. Pignus est quod propter rem creditam obligatur: cujus rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor, cæterum dominium penes debitorem est; fiducia est cum res aliqua sumendæ mutæ pecuniæ gratia vel mancipatur, vel in jure creditur. Hypotheca est, cum res aliqua commodatur sine depositione pignoris pacto vel cautione sola interveniente.* Ex his verbis ergo abunde constat, hanc actionem competere minori contra Curatorem, ut is rem, administrationi suæ depositam, finita curatione, restituat, vel ut det pretium satisfactione sua promissum, ne minores ullum detrimentum ex eo capere possent.

## §. XXI.

Cum autem sæpe fieri possit, ut Tutores vel Curatores non sint solvendo, tunc, uti in dando tutore vel curatore vidimus, eos in suscipienda tutela vel cura dare cautionem cum fidejussoribus, ut res pupilli vel minoris salva fiat, a pupillis vel minoribus & eorum heredibus conveniri possunt fidejussores & eorum heredes actione ex stipulatu stricti juris ad præstanda ea,  
quæ

quæ tutores vel Curatores, durante tutela vel cura, non bene gesserant, & ad quæ per tutelæ vel Curæ actionem directam tutores vel Curatores condemnati sunt, ita ut etiam usuras ex mora præstare teneantur in pupilli vel minoris favorem, quocumque modo etiam pro tutore vel Curatore intervenerint *L. 3. de fidej. § nom. L. 9. §. 10 § 11. rem pup. salvo. fore.* Sic etiam repetere possunt idem, quod tutor vel Curator, si minor condemnatur *L. 5. ff. de fidej. § nom. L. 4. §. 4. § 6. ff. rem pup. salvo. fore.* quamquam enim fidejussores vulgo non aliter intelliguntur, quam qui stipulatione, verbis expressis, se pro alio interponunt, tamen aliquando sunt ii, qui a tutoribus ut fidejussores appellati non contradixerunt, sed nomina sua in acta publica referri passi sunt *L. 4. §. 3. legis ejusdem de fid. § nom.* Sed si plures fidejussores pro uno tutore intercesserint, singuli in solidum tenentur, quamvis ex Divi Hadriani epistola fidejussores beneficio divisionis gaudent, tamen eos teneri, sine ulla interveniente exceptione divisionis, & hoc quidem ita factum est, quia si non ipse pupillus contraxit, & omnium ignarus, beneficium dividendæ actionis injuriam habere visum est, ne ex unius tutelæ causa, diversæ quæstiones apud plures iudices constituerentur, *L. ult. ff. rem pup. salvo. for.*



## §. XXII.

Ultimum tandem in ordinariis restat remedium, scilicet, actio subsidiaria, quæ datur pupillo vel adolescenti contra illos Magistratus, qui vel omnino satisfactionem non exegerunt, vel non saltem idoneam satisfactionem, quæ actio etiam Imperialibus Constitutionibus in heredes sese extendit §. 2. *§ ult. inst. de satisf. Tut.* Majores Magistratus adeoque hic non sunt intelligendi, sed saltem ii, qui non nisi certo casu tutores vel Curatores dant; ut actuarii & scribæ, qui tutores vel Curatores dant, si pupilli facultates non excedant summam quingentorum solidorum, & nominatores, qui Prætorum de tutoris facultatibus informabant, vel Prætoris mandato non idoneam a tutoribus exigebant cautionem §. 2. *§ ult. inst. de satisf. tut. § Curat. L. 1. §. 1, 2, 3, & 8. ff. de mag. conv. L. ult. Cod. huj. Tut.* Sed cum hæc actio sit rei persecutoria, sine dubio etiam datur contra Magistratum heredes, uti tutoris heredes etiam tenentur. *L. 4. § 6. ff. de mag. conv.* Contra magistratum vero fidejussores non datur, quia hi, non ut res pupilli, sed ut res publica salva fiat, promiserunt. *L. 1. princ. ff. de mag. conv. L.*

2. §. 2. ff. eodem. Sed ille magistratus hac actione non aliter tenetur, quam si pupillus vel minor aliquod damnum senserit; quod eorum dolo, vel lata ac levi culpa, minus idoneus tutor vel fidejussor admisit. Si enim idoneam satisfactionem exegerunt, & postea tutores vel fidejussores rerum suarum jacturam facerent, id eos imputari non debet, quia de fortuito casu non tenentur. L. 1. §. 11. L. 6. in med. L. 7. ff. de magistr. conv. Sed si non idonea cautio data est, & tutor tamen idonee res pupillares gesserit, nihil nocet, quia pupillus ab idoneo tutore actione tutelæ indemnitate habere potuerit. L. 1. §. 12 ff. de Magistr. conv. L. 53. ff. de adm. & peric. tut. Ea vero actio tendit ad id, ad quod tendit directa tutelæ actio, non modo intuitu fortis, sed & usurarum, quia hac actione pupillus vel minor ab iis Magistratibus recuperare debet id, quod a tutoribus forte ob inopiam exigere non potuerat. L. ult. ff. de mag. conv. cum illa tamen exceptione, quod pupillus agens non habeat privilegium vel Hypothecam in Magistratum bonis, uti in Tutorum vel Curatorum bonis. L. 1. §. 14. de mag. conv. sed cum ceteris creditoribus partem habiturus est; si vero pupilli vel minoris sit illustris Curator vel tutor facultates eorum indemnitate minoris obnoxie reddentur. L. 1. in fin. Cod. de tut. vel Cur. illustr.

## §. XXIII.

In integrum tandem restitutio restat, quæ sola inter extraordinaria remedia enumeratur. De qua *Antoninus* Imperator in *Leg. 1. Cod. si tut. vel Curat. interv.* loquitur, ubi ait. *Si jam puberes utriusque Sexus parentum hereditatem adiistis; si etiam nunc in ea ætate estis, ut eo quod paternæ hereditati vos obligastis, in integrum restitutionis auxilium accipere debeatis: per Procuratores vestros adite Præsidem provinciæ. quod si legitimam ætatem implestis, idque tempus, quo in integrum restitui potestis, excessistis. Curatores vestros, si adversus eos nondum experti estis judicium, secundum formam juris convenite.* Ex his jam facile constat, hac lege succurri omnibus minoribus, qui causam suam per procuratorem apud Præsidem Provinciæ proposuerant; & secundum juris formam convenire Curatorem, ut in integrum fiat restitutio, si jam justæ sint ætatis, non solum cum de bonis eorum aliquid minuitur; sed etiam cum intersit ipsorum, litibus & sumptibus non vexari. *L. 6. ff. de minorib.*

## §. XXIV.

## §. XXIV.

Cum autem officium nemini debeat esse damnosum, si illud rite & secundum leges implevit; & cum Curatores post depositam curam minorum bona non haberent in sua potestate, & debita pro administratione rerum minorum ex iis retinerent, non mirum videri possit, cur Prætor contrariam introduxit Curæ actionem, exinde Prætoriam dictam. *L. 1. ff. de cur. & Tut. datam Curatori & ejus heredi. L. 3. §. ult. & leg. pen. Cod. de contr. tut. finita Cura L. 1. §. 3. ff. eodem* quamquam etiam durante adhuc cura institui potest, quia durante cura etiam conveniri potest. *L. 1. §. 1. ff. eod. adversus minorem & ejus heredem, ceterosque successores L. 3. §. ult. ff. eod. tendentem, ut Curator indemnis fervetur; si quid ex bonis suis in minorum bona impendit, vel si debiti minoris solutionem erogaverit L. 1. §. 9. ff. de tut. & rat. distr. L. 1. princ. & §. 4 & 5. ff. de contr. tut. Una cum usuris, quæ in regione frequentantur. L. 37. ff. de usur. Nec refert, an eas impensas fecit durante cura, vel etiam ante susceptam curam, si modo impensæ in res minoris factæ sunt, vel ab eo etiam pro curatore, ante vero susceptam*

curam *L. 3. §. 8. ff. de cont. tut. L. 13. de tut. § rat.* Si autem Curator forte impensas fecerit, quæ ad utilitatem rerum minorum sperabantur esse futuræ, sed tamen postea casu fortuito non prosperum habuerint eventum, tamen ob Curatoris intentionem, ut felicem haberent exitum, hæc actio ei non est deneganda *L. 3. §. 7. ff. de contr. tut.* Si autem Curator plures impensas fecerit quam patrimonii vires patiebantur, id ei tunc demum reddendum est, si id expediat minori *L. 3. in pr. ff. de contr. tut.* Si jam Curator in bonis minorum expediendis quasdam impensas fecerit, omnino ei sunt restituendæ, si eas bona fide fecit, *L. 3. in princ. §. 8. ff. de contr. tut.* Et si Curator pro minore aliquando quid indebiti solverit *L. 57. ff. de cond. ind.* Sed tali modo minor cum damno Curatoris locupletior fieri videretur; verum si attendamus, illam indebiti conditionem tum demum competere minori, si tale indebitum jam solutum, tanquam verum debitum in minoris bonis jam relatatum est, & tanquam verum debitum errore jam ab eo approbatum est, nam si debitum non in bonis est relatatum, hæc actio competit Curatori adversus Creditorem. *L. ult. §. 1. ff. de cond. ind.*

### §. X X V.

Porro etiam accedunt damna, quæ Curator in expediendis

rebus minorum in suis fenserit, si aliquo E. G. infortunio arreptus, damnum in suis passus est, omnino id repetere potest. Vel si minor in rebus Curatoris damnum aliquod intulerit, nulla est ratio, cur non Curator contraria sua Curatelaë actione, damnum refarciendum possit petere, cum in communi dividendo iudicio minores obligantur. *L. 46. ff. de oblig. & act.* Sed si Curator in expediendis rebus minorum aliquod damnum in suis passus est, quod sibi ipsi imputare debebat. Contraria sua actione id non repetere potest, nam quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. *L. 203. ff. de reg. jur.* Si autem Curator ex facto alterius Curatoris condemnatus aliquid præstiterit, vel ex communi gestione aliquid damni fenserit, utilem contra Concuratorem habet actionem secundum D. Pii rescriptum. *L. 1. §. 13. ff. de tut. & rat.* Plura de Curatoribus & eorum officio qui desiderat, adeat *Gerard. Noodt, Voet.* & alios commentatores de Curatoribus, ex quibus præcipua delibasse nobis suffecerit: Liceat itaque cum *Martiali L. 4. Epigr. ult. pro ingenioli nostri* modulo tandem exclamare.

*Ohe jam satis es! ohe libelle!*

T A N T U M.

THE

T H E S E S.

I.

*Minores involiti Curatores non accipiunt, præterquam in litem.*

II.

*Matrimonium contractum absque parentum consensu, quorum in potestate sunt contrahentes, quamvis secuta sit copula carnalis, tamen ipso jure nullum est.*

III.

*Venditor non præcise tenetur ad rem tradendam, sed liberatur etiam præstando id, quod interest.*

IV.

*Maritus verus & justus est dominus rei dotalis.*

V.

*Filio exheredato tutor recte datur.*